



## **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Tertiam Partem Summæ Theologiæ. Cum Commentariis  
Reuerendiss. D. Thomæ de Vio Caietani Cardinalis S. Sixti, Et Opvscvlis  
Eivsdem In tres Tomos distinctis

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

1. Vtrum circuncisio fuerit præparatoria, & figura baptismi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72797](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72797)

ARTICVLVS PRIMVS.

*Utrum circumcisio fuerit preparatoria & figuratiua baptismi.*

**A**D PRIMVM sic proceditur. Videtur, quod circumcisio non fuerit preparatoria & figuratiua baptismi. Ois enim figura habet aliquam similitudinem cum suo figurato: sed circumcisio nullam habet similitudinem cum baptismo. ergo uidetur, quod non fuerit preparatoria & figuratiua baptismi.

**¶ 2 Præ.** Apostolus dicit primæ Cor. 10. de antiquis patribus loquens, quod omnes in nube & in mari baptizati sunt: non autem dicit, quod in circumcisione baptizati sint. ergo protectio columnæ nubis, & transitus maris rubri, magis fuerunt preparatoria ad baptismum & figuratiua ipsius, quam circumcisio.

**¶ 3 Præ.** Supra dictum est, quod baptismus Ioannis fuit preparatorius ad baptismum Christi: si ergo etiam circumcisio fuit preparatoria & figuratiua baptismi Christi, uidetur quod baptismus Ioannis fuerit superfluous, quod est inconueniens: non ergo circumcisio fuit preparatoria & figuratiua baptismi.

**Sed contra** est, quod Apostolus dicit Col. 2. Circumcisio estis circumcisio non manufacta, in expoliatio nec corporis carnis, sed circumcisio Christi, conspicienda in baptismo.

**RESPON.** Dicendum, quod baptismus dicitur sacramentum fidei: in quantum, scilicet in baptismo fit quedam fidei professio, & per baptismum aggregatur homo congregationi fidelium. eadem autem est fides nostra & antiquorum patrum, secundum illud Apost. 2. Cor. 4. Habentes eundem spiritum fidei, credimus. Circumcisio autem erat quedam professio fidei, unde dicitur Rom. 4. quod Abraham accepit circumcisionem tamquam signaculum fidei, unde & per circumcisionem antiqui aggregabantur collegio fidelium. unde manifestum est, quod circumcisio fuit preparatoria ad baptismum, & prefiguratiua ipsius, secundum quod antiquis patribus omnia in figuram futuræ contingebant (ut dicitur primæ Cor. 10.) sicut & fides eorum erat de futuro.

**AD PRIMVM** ergo dicendum, quod circumcisio habebat similitudinem cum baptismo, quantum ad spirituales effectus baptismi. nam sicut per circumcisionem auferebatur quedam carnalis pellicula, ita per baptismum homo expoliatur a carnali conuersione.

**AD SECUNDVM** dicendum, quod protectio columnæ nubis, & transitus maris rubri, fuerunt quedam figure nostri baptismi, quo renascimur ex aqua significata per mare rubrum, & Spiritu sancto significato per columnam nubis: non tamen per hæc fiebat aliqua professio fidei, sicut per circumcisionem. & ideo prædicta duo erant tantum figure, & non sacramenta. Circumcisio autem erat etiam sacramentum preparatorium ab baptismum: minus tamen expresse figurans baptismum, quantum ad exteriora, quam prædicta. & ideo Apostolus potius fecit mentionem de prædictis, quam de circumcisione.

**AD TERTIVM** dicendum, quod baptismus Ioannis fuit preparatorius ad baptismum Christi, quantum

ad exercitium actus: sed circumcisio quantum ad professionem fidei, quæ requiritur in baptismo, sicut dictum est. \*

In corp. art. 1.

ARTICVLVS II.

*Utrum circumcisio fuerit conuenienter instituta.*

**A**D SECUNDVM sic proceditur. Videtur, quod circumcisio fuerit inconuenienter instituta: sicut enim dictum est, quod in circumcisio fiebat quedam fidei professio: sed a peccato primi hominis nullus unquam saluari potuit, nisi per fidem passionis Christi, secundum illud 1. om. 3. Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius. ergo statim post peccatum primi hominis, circumcisio institui debuit, & non tempore Abraham.

1. 2. q. 102. art. 5. ad 1. Et q. 103. art. 1. ad 3. Et 4. d. 1. art. 2. q. 4. cor. Et q. 2. art. 1. q. 3. p. to. art. preced.

**¶ 2 Præ.** In circumcisio homo profitebatur obseruantiam ueteris legis, sicut in baptismo profitebatur obseruantiam nouæ legis, unde Apost. dicit Gal. 5. Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est uniuersæ legis faciendæ: sed legalis obseruantia non est tradita tempore Abraham, sed magis tempore Moyse, ergo inconuenienter instituta est circumcisio tempore Abraham.

**¶ 3 Præ.** Circumcisio fuit figuratiua & preparatiua baptismi: sed baptismus exhibetur omnibus populis, secundum illud Matth. ult. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos. ergo circumcisio non debuit institui, ut obseruanda tantum ab uno populo iudeorum, sed ab omnibus populis.

**¶ 4 Præ.** Carnalis circumcisio debet respondere spirituali, sicut figura figurato: sed spiritualis circumcisio quæ fit per Christum, indifferenter conuenit utrique sexui: quia in Christo Iesu non est masculus & femina, ut dicitur Galath. 3. ergo inconuenienter est circumcisio instituta, quæ cõpetit solis maribus.

**Sed contra** est, quod sicut legitur Gen. 17. circumcisio est instituta a Deo, cuius perfecta sunt opera.

**RESPON.** Dicendum, quod (sicut dictum est) circumcisio erat preparatoria ab baptismum, in quantum erat quedam professio fidei Christi, quam etiam nos in baptismo profiteremur. Inter antiquos autem patres primus Abraham promissionem accepit de Christo nascituro, cum dictum est ei Gen. 2. In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ. Ipse etiam primus se a societate infidelium segregauit, secundum mandatum Dei dicentes sibi, Egrede de terra tua, & de cognatione tua: & ideo conuenienter circumcisio fuit instituta in Abraham.

art. preced.

**AD PRIMVM** ergo dicendum, quod immediate post peccatum primi patris, propter doctrinam ipsius Adæ (qui plene instructus fuerat de diuinis) adhuc fides & ratio naturalis in tantum uigebat in homine, quod non oportebat determinari hominibus aliqua signa fidei & salutis: sed unusquisque pro suo libito fidem suam aliquibus signis protestabatur. sed circa tempus Abraham, diminuta erat fides, plurimis ad idolatriam declinantibus: obscurata etiam erat ratio naturalis per augmentum carnalis concupiscentiæ usque ad peccatum contra naturam: & ideo conuenienter tunc, & non ante fuit instituta circumcisio ad profitendum fidem, & ad minuendum carnalem concupiscentiam.

Alias protestantibus.

**AD SECUNDVM** dicendum, quod legalis obseruantia tradi non debuit, nisi populo iam congregato: quia lex ordinatur ad bonum publicum, ut in secunda parte dictum est. \* Populus autem fidelium congregandus erat aliquo signo sensibili, quod est necessarium ad hoc,

1. 2. q. 90. art. 2.

oportet intelligi, sic quod uictio illa operatur quoddam actuale auxilium faciens ex parte baptizati ad conseruationem gratiæ susceptæ. Constat autem auxilium hoc in actu secundo, qui in adultis tunc excita- tur, aut adiuuatur, in parualis autem, non, nisi tempore exten- sionis gratiæ ad operatioem locum habere potest.

¶ 2 Præ. Apostolus dicit primæ Cor. 10. de antiquis patribus loquens, quod omnes in nube & in mari baptizati sunt: non autem dicit, quod in circumcisioe baptizati sint. ergo protectio columnæ nubis, & transitus maris rubri, magis fuerunt preparatoria ad baptismum & figuratiua ipsius, quam circumcisio.

Sed contra est, quod Apostolus dicit Col. 2. Circumcisio estis circumcisio non manufacta, in expoliatio nec corporis carnis, sed circumcisio Christi, conspicienda in baptismo.

RESPON. Dicendum, quod baptismus dicitur sacramentum fidei: in quantum, scilicet in baptismo fit quedam fidei professio, & per baptismum aggregatur homo congregationi fidelium. eadem autem est fides nostra & antiquorum patrum, secundum illud Apost. 2. Cor. 4. Habentes eundem spiritum fidei, credimus. Circumcisio autem erat quedam professio fidei, unde dicitur Rom. 4. quod Abraham accepit circumcisionem tamquam signaculum fidei, unde & per circumcisionem antiqui aggregabantur collegio fidelium. unde manifestum est, quod circumcisio fuit preparatoria ad baptismum, & prefiguratiua ipsius, secundum quod antiquis patribus omnia in figuram futuræ contingebant (ut dicitur primæ Cor. 10.) sicut & fides eorum erat de futuro.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod circumcisio habebat similitudinem cum baptismo, quantum ad spirituales effectus baptismi. nam sicut per circumcisionem auferebatur quedam carnalis pellicula, ita per baptismum homo expoliatur a carnali conuersione.

AD SECUNDVM dicendum, quod protectio columnæ nubis, & transitus maris rubri, fuerunt quedam figure nostri baptismi, quo renascimur ex aqua significata per mare rubrum, & Spiritu sancto significato per columnam nubis: non tamen per hæc fiebat aliqua professio fidei, sicut per circumcisionem. & ideo prædicta duo erant tantum figure, & non sacramenta. Circumcisio autem erat etiam sacramentum preparatorium ab baptismum: minus tamen expresse figurans baptismum, quantum ad exteriora, quam prædicta. & ideo Apostolus potius fecit mentionem de prædictis, quam de circumcisione.

AD TERTIVM dicendum, quod baptismus Ioannis fuit preparatorius ad baptismum Christi, quantum